



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis

Ferdinand <Köln, Erzbischof>

Coloniae Agrippinae, 1614

De Sacramento Matrimonij, & primò de Sponsalibus notæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39761

rum sacrarum Antistites impetrent, qui tantum ministerium rectè & ex Ecclesiæ utilitate subire possint, & velint.



DE SACRAMENTO MATRIMONII, ET primò de sponsalibus, futuri coniugij notæ.

I.



Voniam ardua res est matrimonium, in quo vir & mulier ita colligantur, ut nulla de causa nec per ullam dispensationem vinculum solui, & priore viuente, vxor alia super induci possit, rectè sponsalia illi præmittuntur; tum ut matura deliberatione, & præparatione cõtrahatur; tũ impedimenta, si quæ subsint in apertũ proferantur.

*Sponsalia
cur nuptijs
premittantur.*

II. Sunt autem sponsalia futurarum nuptiarum mutua promissio, quæ per verba futuri temporis vel nudè, & simpliciter contrahuntur, ve etiam iureiurando, annuli, arrhæ aut nummi donatione & acceptatione confirmantur.

*Sponsalia
quid sint.*

III. Mutua autem ista promissio ad desponsandos referri debet, nam etsi parentes pro liberis sponsalia contrahere possint, inualida tamen censentur, nisi liberorum consensus expressus tacitusve accedat.

*Qui sponsalia
contrahant,
qui non.*

IV. Est & illud receptum, ut inter absentes per literas, per nuncium, per procuratorem contrahi possint.

V. Mi-

V. Minores septennio sponsalibus contrahendis non sunt idonei, quod rationis usu carere præsumantur.

Ex decr. cōgregat. Patrum Concil. Trident.

VI. Etsi non, ut in matrimonio ineundo, ita in sponsalibus contrahendis Parochi, eiusve Vicarij præsentia absolute sit necessaria: tamen quia in diocesis plerisq; more publico est receptum, ut promissionibus de futuris nuptijs, Sacerdos adsit, sponsaliaq; approbet, hocq; fiat consentaneè veteri cuidam Archiepiscopi Syfridi decreto, neque suo careat fructu; idcirco si quem Pastorem eiusve vicces gerentem ad contractum sponsaliorum, seu futurarum nuptiarum promissionem adhiberi contingat, ad modum sequentem sese geret.

Stat. Syfridi c. 10. fol. 44.

Qui ad spōsalia contrahenda admittēdi, & qui non

VII. Parochus non ante in sponsaliorum contractum consentiat, quàm perspexerit desponsandos esse Catholicos, confirmatos, rudimentorum fidei gnaros, ab excommunicatione liberos, ac impedimenti nullius quod matrimonio obstare possit, conscios.

VIII. Videat diligenter num ad sponsalia contrahenda veniant animo lubenti, spontaneo, benè deliberato, nec non iudicio mentis integro. Aliter si affectos animadvertat, à contractu illos arceat, quandoquidem consensus in matrimonium liberrimus esse debet.

Sponsalia quibus verbis celebranda.

IX. Sed & illud studiosè cauebit, ne desponsandi contrahant verbis præsentis temporis (efficeretur enim matrimonium non sponsalia præsertim consensu accedente, sed futuri, ijdemq; claris & perspicuis, quæ non aliter in foro, quàm contrahentium intentione explicari possint.

X. Post contracta sponsalia sponfos instruet, qua religione, &

ne & fide matrimonium inire debeant. Hortabitur etiam
 vt antequam illud contrahant vel saltem triduo ante con-
 summationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad
 sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.

*Concil. Trid.
 sess. 24. c. 1.
 de reform.
 Matrim.
 Concil. Pra-
 uinc anno
 1536. cap. 45.*

XI. Monebit præterea vt iuxta receptam Ecclesiæ con-
 suetudinem intra quadraginta dies ad matrimonij solen-
 nizationem procedant, interea verò temporis ab omni
 carnali commercio abstineant.

XII. A quo periculo vt absint longiùs, seriò illis iniunge-
 tur vt, ne quod pleriq; non sine maximo animæ suæ peri-
 culo & scandalo faciunt, sub eodem tecto habitent, secus
 si faxint, se non antè ad matrimonij benedictionem illos
 admissurum, quàm ab inuicem discesserint & dignè pro
 scandalo Ecclesiæ dato satisfecerint.

*Despon-
 ti sub eodē
 tecto non
 habitent.
 Concil. Trid.
 ibidem.*

XIII. Et quoniam ex decreto Ecclesiæ nulli coniugio
 iungendi sunt, nisi proclamationibus tribus publicè è
 suggesto ad populū factis, mandabit sponsis, vt à suo quisq;
 Parocho huiusmodi denunciations fieri procuret, & ab
 alterutro Dimissoriales ad alterum, qui matrimonium so-
 lenni benedictione celebraturus est, secum deferat.

*De procla-
 mationib.
 futuri con-
 iugij.
 ibidem.*

XIV. Parochus aut ex eius commissione sacerdos alius
 huiusmodi proclamationes factururus Ecclesiasticas sancti-
 ones obseruet, nempe vt matrimonio iungendos ter, non
 quidem vno die, sed tribus continuis festiuis ante concio-
 nem aut inter Missarum solennia denunciaret, vt si qui im-
 pedimentum sciant, hoc proponant antequam matrimo-
 nium contrahant.

*Proclama-
 tiones quo
 modo fa-
 ciendæ.*

XV. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio ma-

V

trimo-

Quando
suspicio
matrimo-
nium ma-
litosè im-
pediri posse
quid agen-
dum.

trimonium malitosè impediri posse, si tot præcesserint denunciations, tunc licentia ab Ordinario impetrata, vel vna tantum denunciatio fiat vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur; deinde ante eius consummationem denunciations in Ecclesia fiant, ad impedimenta cognoscenda; nisi ordinarius expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciations remittantur.

Ibidem.

Sponsorum
proclama-
torum im-
pedimenta
pastori a-
perienda.
*Stat. Sifridi
cap 10.*

XVI. Significabunt Pastores subditis suis omnes illos qui aut certò sciunt, aut saltem probabili coniectura credunt, proclamatos sponfos legitimo impedimento à nuptiali contractu prohiberi, idq; prece, precio, fauore vel odio, reticent, ab ordinario grauiter puniendos esse.

Sponsorum
impedimè-
tis cognitis
quid pasto-
ri agendum.

XVII. Si proclamatione vna pluribusve factis impedimentum opponatur, tum Pastor aut eius vicem gerens opponentem vnâ cum sponfis ad ordinarium remittet, neq; antè ad matrimonij solennizationem progredietur, quàm id sibi licere ex ordinarij literis didicerit, non obstante, quod partes inter se transfegerint.

Obligatio
ex sponsa-
libus quæ:

XVIII. Ex sponsalibus obligatio ad contrahendum nascitur, commonendi igitur sunt desponsati, vt ne fidem mutuò datam violent, nisi grauiter peccare velint.

Sponsalia
quibus ca-
sibus disso-
luantur.
*Nauarr. in
Manual. Cõ-
fess. cap. 22
num. 25. &
seqq.*


XIX. Occurrunt tamen certi in iure casus quibus licitè à sponsalibus discedi potest. Videlicet mutuus partium dissensus, approbatæ religionis ingressus, sacri ordinis susceptio, subsequens cum alia matrimonium, superueniens alterius sponforum fornicatio, affinitas, hæresis, lepra, paralysis, notabilis deformitas, defectus eius, quod ab altero
sponso

sponsorum promissum est, fama publica canonici impedimenti, & alij quidam casus in iure expressi.

XX. In dissoluedis iustam ob causam sponsalibus iudicis Ecclesiastici auctoritas interponi debet, si causa sit dubia & non satis vulgo explorata.

Sponsalia
cu us au-
ctoritate
dissoluan-
tur.

RITVS ET FORMA CE- lebrandi sponsalia.

 Vanquam in his partibus sponsalia plurimùm priuatim in præsentia solum cognatorum & amicorum celebrantur; tamen si aliquando ad solennem illorum celebrationem Parochum eiùsve vicarium vocari contingat, meminerit ille decens esse, vt quando iam priùs de omnibus benè inter sponsum sponsamq; ac vtriusq; partes conuenit, tunc coram ipsis indutus veste talari in Ecclesia, eius porticu, ambitu, vel cœmiterio, aut certè loco publico siue aliàs honesto compareat. Vbi proposita per aliquem ad id ex amicis constitutum conuentus causa diligenter ad ea, quæ supra not. 6. 7. & 8. posita fuerunt, aduertat atq; inuestiget. Quando de istis à sponso sponsaque sufficienter fuerit edoctus, nomina vtriusque & cognomina inscribat, Ac primum compellans nomine & cognomine sponsum dicat:

N. Venisti huc voluntate libera, nullique astrictus, vt promittas te **N.** quam manutenes in vxorem ducturum?

V 2

N. Er